

www.e-rara.ch

Theatrum orbis terrarum

Ortelius, Abraham

Antverpiae, 1603

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: T 33

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-92309>

Italia Gallica.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ITALIA GALLICA.



PARS hæc Italiae olim Gallia appellata fuit. Galliam enim præscriptores ab Oceano versus Ortum ad Rubiconem usque fluvium extenderunt. Alpius itaque eam per medium discriminantibus, illam Vltiorem & Transalpinam vocauerunt: hæc autem, quam hæc tabula edimus, Subalpinam siue Cisalpinam & Citeriorem. Galliam veterem nominat Aufonius, item Solinus, vbi scribit Vmbro: Gallorum veterum propaginem & Galliam, sine cognomine, Liius 45. Et quia hæc tota progressu temporis sub Italia voce comprehensa fuerit, ab Appiano in Annibalicis, apertissimo nomine, ad alterius veram Italiae differentiam, Italia Gallica nominatur. Liber notitiarum prouinciarum Italiam Mediterraneam vocat. In hac comprehendebatur etiam ea Gallia quæ Togata cognominabatur. Hæcque Ariminum quoque vocatur à Liiio 28. si mendo vacet locus. Huius incognitas Celtas appellat Silius 9. ad Eridanum habitantes. In hoc terrarum spacio (quod Tacitus florentissimum Italiae latus appellat) sunt ex Diui Augusti diuisione, Octaua, Nona, Decima, & Vndecima, regiones Italiae. Hic idem tractus à Pado flumine, qui eam irrigat, & per medium secat, diuiditur in Galliam Transpadanam, & Cispadanam. Hæc Cispadana sola, Togata est apud Ptolemæum. Sub hac eadem Ligures, quos antiquitus ad Padum usque habitasse, vti apud vetustissimos scriptores obseruauimus, comprehendebantur. Si fides sit tribuenda Originibus, quæ sub Catonis nomine circumferuntur, hæc eadem Æmilia quoque, Felsina, Aurelia, & Bianora dicta fuit. Polybius toto huic tractui Gallico formam triangularem tribuit: cuius apicem faciunt Alpes & Apenninus montes, basim, Sinus Hadriaticus, camposque in eo totius Europee maximos & huberrimos esse, addit. Vbiq; arboriferam hanc regionem, pecori pascendo aptam, & multis irrigari fluminibus, in eaque fuisse vrbes octodecim magnas ac pulchras, ita ædificatas, vt & ad pecuniam parandam commodè, & ad viuendum splendide haberent, testis est Plutarchus in Camillo. Idem quoque Plinius, qui eum triquetrae formæ dicit: & vt in Delta Ægypti, Nilum; ita hic Padum in mare effundi, quem Strabo scribit humectare hanc plantiæ, felicemque reddere, & multis collibus frugiferis distinguere. Hic ille est quem antiquitas Eridanum vocauit, Phætonia fabula nobilis. Hunc fluuio regem facit Virgilius: oloriferum vocat Claudianus: auriferum, & nulli amnium claritate inferiorem dicit Plinius. Profuit ex Vesuli inter iuga Alpium altissimi montis gremio: vbi se paruis primùm fontibus colligens, submersusque cuniculo, rursus in agro Forouibensi extollitur. Inde lacus immensos in se exonerantes, & triginta flumina secum deferens, multis ostiis se in mare Hadriaticum exonerat: atque in id tam citus profilit; vt discussis eius fluctibus, suum in mari alueum seruet: atque inter marinas aquas dulcium haustus, vt cum Pomponio loquar, faciat. Bodincum, quod significat fundo carentem, Ligurum lingua appellari, scribit Plinius. Hanc plagam inter ceteros populos aliquando habitauerunt Galli, qui omnium primi populo Romano arma intulerunt: vrbesque Romam captam incendunt, Capitolio tantum incolumi. Atque hæc, illa est Italiae pars, quam multum adhuc frugalitatis antiq; retinere, scribit Plinius, ad Iunium Mauricum suum. Apud Strabonem 5. & Polybium 2. optima & plenissima huius regionis descriptio. Venetiæ huius partem lege apud Casiodor. 12. Variar. numero 24. Bonanentura Castilleonius, & Gaudentius Merula, hinc oriundi, nostro æuo non parum hanc eandem suis doctiss. scriptis, & peculiariibus libellis illustrauerunt. Qui fabulis delectantur, Aristorelis Admiranda adeant, vbi quædam de Electridibus insulis, & graculis sementem depascantibus. De iisdem Theopompum, apud Ælianum 17. Animal. cap. 16.

De Liguria hic non nihil quoque dicendum videretur, si totam hæc tabula exhiberet: sed quia eius pars tantum (olim enim vltra Massiliam & Rhodanum fluvium eius fines fuisse, auctores idonei testantur) hic apparet, de eo multa dicere superfedebimus. Antiquissimæ solummodo tabulæ ænæ inscriptionem adponam, quia multa locorum nomina Genuensis territorij, ad hanc tabulam pertinentia, & non alibi lecta, contineat. Est autem talis:

Q. M. Minutius Q. F. Ruseis de controuersis inter Genuates & Veituros in re presente cognouerunt: & coram inter eos controuersias composuerunt: & qua lege agrum possiderent, & qua sine fierent, dixerunt eos sine facere, terminosque statui iusserunt: vbi ea facta essent, Romam coram venire iusserunt. Roma coram sententiam ex Senati consilio dixerunt, eidem. Decemb. L. Caicilio. Q. F. Q. Muucio. Q. F. Cos. Qua ager priuatus Casteli Veituriuorum est, quem agrum eos vendere heredemque sequi licet: is ager vectigal nei set. Langatium sineis agri priuati ab riuo infimo qui oritur ab fonte in Manicelo ad flouium Edem, ibi terminus stat. Inde flouio suso versus in flouium Lemurino. Inde flouio Lemuri susum vsque ad riuom Comberane. Inde riuo Comberane susum vsque ad conualem Caepicem, ibi termini duo stant circum viam Postumiam. Ex eis terminis recta regione in riuo Veindupale. Ex riuo Veindupale in flouium Neuiascam. Inde dorsum flouio Neuiasca in flouium Procoberam. Inde flouio Procobera deorsum vsque ad riuom Vinelascam infimum: ibi terminus stat. Inde sursum riuo recto Vinelasca: ibi terminus stat propter viam Postumiam. Inde alter trans viam Postumiam terminus stat. Ex eo termino quei stat trans viam Postumiam recta regione in fontem in Manicelum. Inde deorsum riuo quei oritur ab fonte in Manicelo ad terminum quei stat ad flouium Edem agri poplici quod Langenses possident: hisce finis videntur esse: vbi confluent Edus & Procobera ibi terminus stat. Inde Ede flouio sursum in montem Lemurino infimo: ibi terminus stat. Inde sursum iugo recto in montem Lemurinum summum, ibi terminus stat. Inde sursum iugo recto in castelum quei vocatur Alianus, ibi terminus stat. Inde sursum iugo recto in montem Louentionem, ibi terminus stat. Inde sursum iugo recto in montem Apenninum quei vocatur Boplo, ibi terminus stat. Inde Apenninum iugo recto in montem Tuledonem, ibi terminus stat. Inde deorsum iugo recto in flouium Veraglascam, in montem Berigienam infimo, ibi terminus stat. Inde sursum iugo recto in montem Previcum, ibi terminus stat. Inde dorsum iugo recto in flouium Tutelascam, ibi terminus stat. Inde sursum iugo recto Blustiemelo in montem Claxelum, ibi terminus stat. Inde deorsum in fontem Lebrimelum, ibi terminus stat. Inde recto riuo Enifeca in flouium Porcoberam, ibi terminus stat. Inde deorsum in flouium Porcoberam vbi confluent flouii Edus & Procobera, ibi terminus stat. Quem agrum poplicum iudicamus esse: eum agrum Castelanos Langenses Veituros possidere fruique videtur oportere: pro eo agro vectigal Langenses Veituris in poplicum Genuam dare debent in annos singulos VIC. N. CCCC. Sei Langenses eam pecuniam non dabunt neque satisfaciunt arbitratu Genuatum, quod per Genuenses mora non fiat quo seius eam pecuniam accipiant: tum quod in eo agro natum erit frumenti partem vicensumam, vini partem sextam Langenses in poplicum Genuam dare debent in annos singulos. Quei intra eos sineis agrum possidet, Genuas aut Veituros quei eorum possident. K. Sextil. L. Caicilio. Q. Muucio. Cos. eos ita possidere colereque liceat, eus quei possidebunt vectigal Langensibus pro portione dent: ita vti ceteri Langenses quei eorum in eo agro agrum possidebunt fruenturque. Præterea in eo agro ni quis possideto, nisi de maiore parte Langensium Veituriuorum sententia: dum ne alium intromittat nisi Genuatem aut Veituriuorum colendi causa. Quei eorum de maiore parte Langensium Veituriuorum sententia ita non parebit: is eum agrum nei habeto niue fruiumino. Quei ager compascuos erit: in eo agro quo minus pecuascere Genuates Veiturosque liceat, ita vti in cetero agro Genuati compascuo ne quis prohibeto: niue quis vim facito: neque prohibeto quo minus ex eo agro ligna materiamque sumant vianurque. Vectigal anni primi K. Ianuaris secundis Veituris Langenses in poplicum Genuam dare debent. Quod ante K. Ianuaris primas Langenses fructi sunt eruntque vectigal inuicem dare nei debent. Præterea que fuerunt proxima famiseci. L. Caicilio. Q. Muucio Cos. in agro poplico quem Veituries Langenses possident: & quem Odiate & quem Dectunines & quem Cauaturines, & quem Montouines possident: ea præterea inuitis Langensibus, & Odiatebus, & Dectunibus, & Cauaturines, & Mentonines, quem quisque eorum agrum possidebit inuicem eis ni quis facit: niue pascat: niue fruatur. Sei Langenses aut Odiate aut Dectunines aut Cauaturines aut Mentonines malent in eo agro alia præterea immittere, defendere, sicare, id vti facere liceat, dum ne ampliore modum prætorum habeant quam proxima estate habuerunt fructique sunt Veituries. Quei controuersias Genuensium ob iniurias iudicati aut damnati sunt, sei quis in vinculis ob eas res est: eos omnes solui mitte leiberique Genuenses videtur oportere ante Eidus Sextilis primas. Si quoi de ea re iniuom videbitur esse, ad nos adeant primo quoque die, & ab omnibus controuersis & hono. publ. leg. Moco. Meticanio Meticoni. F. Plancus Peliani Pelioni. F.

Haec hæc tabula, ex descriptione Stunica: huius enim exemplar (inter alia ab aliis diuulgata) quod emendatissimum rebar, sequutus sum, fretus eius fide & diligentia, qua proficetur eam nulla addita, mutata, aut detracta littera, excepisse. ideoque idem admonet lectorem, ne moueatur varia scriptione, vt iusserunt & iuserunt, dixerunt & dixerunt, susum & sursum, & eiusmodi aliis, neque hæc librorum negligentia accidisse putet, sed ita diuersimodè in typo reperiri. Augustinus Iustinianus autem (vt & hoc addam) pro in Manicelo, Immanicelum, legit. pro Veindupale, Vindupale. pro Louentio, Iouentio. pro Berigiena, Berigema. Alia in nonnullis vocibus quoque apud Fuluium & Lipsium in libro Smetij. Notas difficiliores idem Stunica sic interpretatur VIC. N. CCCC. Victoriatos nummos quadringentos. HONO. PUBL. LI. LEG. MOCO. oneribus publicis liberi, lege Maconia.

Reperta fuit hæc tabula ab agricola dum solum foderet, anno 1506. in agro Genuensi, ad radices Apennini, Valle Porcuera, quæ Siccam cognominant, in pago Izo secco nominato. Translataque inde in ipsam urbem, ad S. Laurentij, vbi hodie conferuatur. Videtur scripta anno centesimo post initium belli Punici.

ITALIA GALLICA, SIVE
GALLIA CISALPINA.

Ex conatibus Geographicis
Abrah. Ortelij.

Cum privilegio decemali, Imp. Belgicae, et Brabantiae.

1590.

Venerando Dño D. Francisco Superantio
Veneto, pietate ac sanguine nobili, auctor
lubens merito donabat, dedicabatque.

Septentrio.

GERMANIAE PARS.

INCERTI SITVS LOCA.

Acara, Ampelus, Aprona, Augus,
Bardorate, Barra, Celina, Carcanta, Car-
rea quod Potentia, Cottia, Diacussu, Epi-
terpium, Forum Clodij, Iramine, Ordia,
Palsicum, Pellaon, Quadrata, Rigo-
magum, Templum, Vetrica.

SARVNE-
TES.

VINDELICI.

NORICI.

CARNI.

Caruancas
mons.

GALLIAE
TRANSAL-
PINAE

Occidens.

HADRIATI-
CI, SIVE SV-
PERI MARIS
INTIMVS RE-
CESSVS.

Ele Tribes insulas ante Padum, a
profs descriptas, fabulosas facit Strabo

INCIGNITA POSITIONIS POPVLI.
Carnonates, Lepirini,
Celsates, Magelli,
Cercinates, Oisani,
Euburates, Paduanes,
Flaminenses, Quatuorini,
qui Vannenses, et Trevises,
Cauri, Veronani,
Forstani, Vestates, cognomine
Vestini,
Garuli, Veneti,
Iperates, Vergunni,
Ivates, Vibelii.

Scala miliarium.

MARE LIGVSTICVM; VEL MEDIVS
TERRANEI MARIS PARS

Meridies



